Indice

1. Sant'Angelo in Capoccia. Statuta et Ordinationes Castri S. Angeli Montij Catuli del 1491. (MS.)

2. Monteleone Sabino. Su i danni dati risoluzioni consiliari del 1695. (MS.)

3 Montecalvello (sotto Grotte S. Stefano) Sentenza su i Diritti comunali relativi a taglie di macchie del 1647.

4. Medicina. Regolamento su i pubblici spettacoli del 1840.

5. Monte S. Martino. Statutorum libri Quatuor (Manoscritto in pergamena / sembra con firme originali poco o nulla intelligibili con date del 11 Marzo 1629 e del 1695. Manca qualche pagina dell'Indice in princ.

6. Montiano. Statutum terrae Montisjani ex vetustissimo Codice del 1440 cum additionibus del 1498, 1502, 1544, 1547, 1584, 1590, 1599. ed altre. Sono preceduti da esemplari degli stemmi dei Spada, Bonaccorsi e di Antonio degli Assassini e lo stemma della città

7. Monte Flavio. Su i pascoli e danni dati; Capitoli del Card.le Orsini. = Statuto di 2 soli capitoli (incompleto)

8. Maenza. Statutum Magentiae del 1539. Copia del solo Indice delle rubriche dei 4 libri (MS. con stemma)

9. Montefortino. Statuta Montisfortini Signinae Dioecesis ex antiquissimo originali extracta del 1468.

10. Montefortino. Tasse delle mercedi dovute al Governatore, al mandatario ed all'Esecutore

È seguito da un Bando su i danni dati del 1815 e 1816

11 Montefranco. Statuta del 1473. Si ha la sola indicazione delle rubriche e delle riforme

(Volta)

+

12. Monte S. Vito. Statuto del castello di Monte S. Vito riformato del 1533. e relativi Decreti (MM^s)

216 174 207 Ir

Montefranco

Estratto dello Statuto di Montefranco Delegazione di Spoleto, Governo di Terni

richiesto con Ven. Circolare dell' Eccel=
so Ministero dell' Interno del 9 Giugno 1856

N.° 28649

Iv

Copia

Estratto

dello statuto di Montefranco, e successive riformanze nella parte e parti che concernono disposizioni relative alla coltura del territorio, al corso delle acque, ai pascoli, ed ai danni dati, a cui per ragione in certo modo di necessità si sono riuniti taluni Capitoli e Riformanze relative alla manutenzione delle strade pubbliche e vicinali, delle fontane ed acquedotti pubblici, e conservazione dei locali, ossia selve destinate alla caccia dei tordi, e relative pure alla polizia interna del luogo, come esterna ossia rurale.

Si osserva che tale statuto venne per deliberazione del pubblico Consiglio del Comune di detto luogo compilato nel 1473, e quindi posto in buon ordine e pubblicato sotto il giorno 31 maggio 1474 da Loreto Antonio Colapaoli da Collescipoli pubblico notaro ed uffiziale del Comune predetto, come che scelto e deputato ad hoc dal Podestà locale

Il mentovato statuto scritto in Pergamena è mancante del frontespizio

Si osserva pure che il presente statuto fu successivamente approvato e confermato sotto il giorno 1° agosto 1474 dal Governatore e Castellano di Spoleto, e quindi egualmente approvato e confermato, per quanto appare, in ottobre 1475 dai Priori del Popolo della Città di Spoleto. E se non può designarsi con certezza il giorno di questa prima approvazione per parte dei Priori del Popolo di Spoleto, ciò è perchè il carattere è talmente dal tempo consumato, che si rende poco o nulla intelligibile tale atto. Può desumersi però con tutto il fondamento che fosse nel 1475, poichè si legge la immediata e susseguente annuale conferma sotto il giorno ultimo di ottobre 1476, e così di seguito fino all'anno 1781, dopo la quale epoca non si leggono altre conferme della Magistratura Municipale di Spoleto.

È osservabile pure che in ogni atto di conferma si legge la riserva per parte di detta Magistratura dell'annale presentazione dello statuto a carico del Comune di Montefranco, poichè tanto nell'atto di conferma del 1476 quanto in qualche altro successivo si legge per ragione di detta annale accordata conferma, che dietro accurata ispezione nulla si era trovato innovato = ivi = visa, et inspecta retroscripta jussa ovvero statuta et diligenter examinata, neque mutata, ideo confirmaverunt, et approbaverunt =

(Nota) (Quest... nella ... pito ... per ... nell'...

Liber primus Cap. 11

De electione Estimatorum damnorum datorum.

Statuimus et etiam ordinamus, quod Vicarius et quatuor antepositi qui pro tempore erunt omni anno in festo omnium Sanctorum . . . . . debeant sub pœna decem librarum denariorum de facto auferendarum per Potestatem seu Cancellarium post electionem de dicto Castro ad æstimandum omnia damna data facta tam personaliter, quam cum bestiis.

Qui jurent ad Sancta Dei Evangelia in manibus nostri Cancellarii, omnes æstimationes per ipsos fiendas facere bona fide, et sine aliqua fraude. Ineanturque dicti æstimatores ire ad æstimandum dicta damna data ad requisitionem cujuscumque petentis sub pœna decem solidorum denariorum pro quolibet eorum, et qualibet vice, qua contraventum fuerit et referre in manibus nostri Cancellarii. Qui Cancellarius dictas æstimationes in libro creditorum Communitatis sine aliqua solutione . . . . . alicujus personæ sub pœna decem librarum denariorum per Cameram Communis prædicti. De suo salario retinendarum.

(Nota) Due parole deficienti nella Copia di questo Capitolo sono inintelligibili per essere state grattate nell'originale.

Lib. eodem Cap. 12

De electione vialium intus et extra Castrum.

Statuimus et ordinamus quod electio viariorum fiat

per vicarium et quatuor antepositos Castri Montis franchi omni anno post festum omnium sanctorum per unum diem et non ultra, et sint duo homines in dicto offitio, quorum offitium duret per unum annum. Qui vicarii una cum offitialibus Communis simul et semel vinculo sacramenti teneantur et debeant, et pœna viginti solidorum denariorum in principio eorum offitii quoties fuerint requisiti per aliquem de dicto castro reinvenire et scrutare cum Consilio massariorum, quos ad hæc habere voluerint omnes vias et platias consuetas, et cortinas Ecclesiæ et fontium et terminare:

Et si invenerint devastatas, vel super apprehensas faciant reaptare, et relapsare, et sgomberare infra decem dies post præceptum faciendum per vicarios vel aliquem ipsorum vel bannitum per Bajulum dicti Communis de mandato ipsorum vicariorum ad pœnam decem solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice qua contra factum fuerit de facto auferendam. Et dictæ viæ remundentur, aptentur, et remittantur per adjacentes dictarum viarum intra dictum terminum sub dicta pœna tam intus quam extra dictum Castrum. Et dicti vicarii in principio mensis Junii teneantur et debeant per Bajulum prædicti Communis

bannire facere per loca pubblica, et consueta dicti Castri, quod omnes et singulas personas habentes eorum possessiones juxta vias Communis seu vicinales debeant quantum tendunt eorum possessiones dictas vias sgomborare, et vepres et spinos incidere, et dictas vias aperire ita quod unusquisque possit granum abiliter portare sub pœna decem solidorum denariorum pro quolibet contrafaciente de facto auferendorum.
Et dicti Vicarii teneantur et debeant ire ad videndum dictas vias apprehensas et ingomboratas ad petitionem cujuslibet utentis ad dictam pœnam, et habeant pro eorum salario quod irent extra Castrum duos solidos pro qualibet parte, et quolibet ipsorum.
Et quod nullus impediat vias prædictas ad pœnam prædictam videlicet faciendo vel habendo foveam propter quam via impediatur. Et de impedimento stetur, et credatur dicto vicariorum ad prædictam pœnam. Nec etiam in viis intus dictum Castrum possit quis habere vel projicere aliquam sozzuram vel etiam lapides, lignamina, ossa olivarum, et letamen, nisi spatio octo dierum, postquam eis fuerit factum præceptum disgomberaverint. Et nihilominus talis projiciens vel tenens prædicta, vel aliquod prædictorum

teneatur amovere illud ingomeramentum infra alios octo dies postquam preceptum sibi fuerit secunda vice per predictos vicarios, vel per curiam predictam sub pena viginti solidorum denariorum pro quolibet, et qualibet vice. Et quod nullus possit habere ossa vel aliqua impedimenta que impediant, et impedire possint muros Communis ad penam decem solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice, qua contra factum fuerit.

Lib. eodem Cap. 16

De electione juratorum, et referenda damna data.

Item statuimus et ordinamus, quod dicti vicarius et antepositi teneantur et debeant eligere novem juratos de hominibus dicti castri, qui jurent et jurare debeant in manibus nostri Cancellarii et offitialis, seu in manibus vicarii, si dictus Cancellarius et offitialis absens fuerit referre omnia et singula damna data per homines et personas dicti castri. qui jurati teneantur et debeant infra octo dies referre dicta damna data supradictis vicario seu Cancellario sub pena quinque solidorum denariorum pro quolibet damno dato per dictos juratos non relato infra dictum terminum octo dierum, et ab inde

nec imposterum ipsa relatio non valeat. Quorum offitium — duret per quatuor menses: Et quod dicti vicarius et quatuor qui tunc temporis fuerint, teneantur et debeant octo diebus ante finem offitii dictorum juratorum eligere alios novem juratos novos sub pœna quadraginta solidorum denariorum pro quolibet ipsorum vicarii et quatuor antepositorum: Hoc tamen addito, quod nullus de dicto castro possit esse nisi semel in anno, vel si fuerit electus, non possit exercere offitium nec debeat sub pœna viginti solidorum denariorum pro quolibet ipsorum.

Liber tertius Causarum Criminalium

Cap. 42

Quod pater teneatur pro filio, et patronus pro famulo.

Si filius familias alicujus de dicto castro vel abitatoris ejusdem commiserit aliquod malefitium, excessum vel delictum teneatur et debeat pater ipsius delinquentis solvere illam pœnam in qua incursus fuisset propter dictum malefitium, excessum vel delictum usque in quantitatem legitime tangentis ejus filio. Si vero famulus alicujus de dicto Castro, vel abitator ipsius Castri commiserit aliquod malefitium, excessum vel delictum,

seu damnum datum, teneatur et debeat ipse patronus solvere pœnam in qua teneretur ipse famulus delinquens occasione delicti, malefitii, excessus seu damni dati usque ad salarium sibi conventum del debitum aliquibus in contrarium facientibus non obstantibus. Et si dictis famulis non daretur salarium, patronus non teneatur de pœna commissi malefitii, sed solum duntaxat teneatur dominus pro pœna damnorum datorum.

Eodem libro Cap. 49

De pœna exterminantis terminos

Quod terminum vel aliquod aliud quod loco termini haberetur quicumque celaverit, occultaverit, extraxerit, seu emuserit, in decem libras denariorum condemnetur pro quolibet et qualibet vice. Et tamen terminum, vel quod loco termini haberetur reducere debeat in pristinum statum, prout per duos homines vicinos vel plures fuerit testificatum cum eorum juramento. Et ad probationem prædictorum sufficiat fama publica quatuor testium de contrada, in qua tale malefitium fuerit commissum.

Eodem libro Cap. 55

De pœna interficientis vel percutientis aliquod

animal

Animal alicujus quicumque interfecerit jumentum somarium vel somariam, mulum vel mulam, bovem seu vaccam in centum solidis denariorum condemnetur.
Si quis autem percusserit aliquem dictorum animalium cum lapide vel bastone, vel aliquo genere armorum, et sanguis exierit, in viginti solidos denariorum puniatur pro quolibet animali et qualibet percussione. Et si percusserit aliquem pecudem, porcum, capram, canem, vel hujus similia, solvat decem solidos denariorum pro quolibet et qualibet vice etiam si sanguis exierit. Si vero capram, pecudem, porcum et his similia aliquis interfecerit, in viginti solidis denariorum puniatur.
Si vero magagnaverit aliquod ex prædictis animalibus grossis, in quadraginta solidos denariorum puniatur.
Si vero magagnaverit aliquod ex prædictis animalibus parvis, in decem solidos denariorum puniatur. Et in quolibet dictorum casu, damnum emendet domino ipsarum bestiarum in duplum. Et ad probationem prædictorum sufficiat probatio unius testis de visu sine aliquo inditio, habeaturque pro plena probatione

Eodem libro Cap. 58

De pœna rumpentis vel deguastantis macinas

alicujus molendini

Rumpens vel deguastans macinas alicujus molendini vel frangens, aut aliquo modo violans molendinum alicujus incidat in poenam decem librarum denariorum pro quolibet, et qualibet vice. Et damnum emendet domino ipsius macinae sive molendini in duplum. Si quis vero fregerit aut ruperit tegulas molendini alicujus incidat in poenam quadraginta solidorum denariorum et damnum emendet in duplum.

Eodem lib. Cap. 60

De poena non cavantis formas in via faci et formam fontis Quaranta

Quod habens possessiones juxta viam faci, incipiendo dictam viam a via sedis Sforziam Colangeli, et usque ad pontem Arroni et montis franchi teneatur et debeat quolibet anno ante festum Sancti Angeli de mense septembris mundare et cavare formas existentes juxta suam possessionem et viam praedictam ad sensum Cameri et viariorum dicti Castri ad poenam quinque solidorum denariorum pro quolibet contrafaciente, et nihilominus teneatur emundare et cavare sub praedicta poena infra terminum per curiam eidem assignandum. Et quod quilibet habens terram juxta formam fontis Quaranta

incipiendo a possessione hæredum coli Poli sellis et Sforziam Colangeli inclusive sita in vocab. deontra, seu fontis quaranta juxta pratum Santi meliadunes, et viam usque ad exitum dictæ formæ teneatur et debeat singulo anno mundare, et cavare dictam formam quantum potendit ejus possessio ante dictum festum Sancti Angeli sub pœna quinque solidorum pro quolibet, et nihilominus teneatur ut supra emundare sub dicta pœna.

Libro eodem Cap. 61

De pœna non cavantis Rivum Monsani

Quilibet vero de dicto Castro, seu abitator ipsius castri habens possessionem juxta Rivum Monsani incipiendo dictum Rivum Monsani in loco ubi aqua fontis Moglie et aqua fontis melli insimul intrant, seu immiscentur ad invicem usque ad exitum dicti Rivi teneatur et debeat quolibet anno mundare et cavare rivum prædictum quantum protendit ejus possessio per totum mensem augusti ad pœnam quinque solidorum denariorum pro quolibet contrafaciente. Et nihilominus teneatur dictum rivum mundare et fodere ad dictam pœnam in termino per curiam dicti Castri assignando.

Lib. 4° Extraordinariorum

Cap. 6

De pœna occupantis seu claudentis viam vicinalem.

Clausum tenens vel occupans aliquod vicinale seu ali-
quam viam vicinalem commode transire non posset,
teneatur et debeat illud tale vicinale seu viam
vicinalem aperire, et ipsum et ipsam semper apertum
et apertam tenere ad pœnam viginti solidorum de-
nariorum de facto auferendorum pro quolibet con-
trafaciente, et qualibet vice.

Lib. eodem. Cap. 7.

De pœna derivantium aquam de cursu suo.

Nulli liceat nec audeat trahere aquam de cursu anti-
quo vel consueto, neque impedire aliquem cursum, nec
mittere vel dirigere aquam per locum non consuetum,
propter quod faciat damnum alicui consorti, seu vi-
cino ad pœnam viginti solidorum denariorum pro
quolibet et qualibet vice. Et nihilominus tenea-
tur reducere dictam aquam per locum consuetum.
Et damnum patienti emendet, salvo si esset de vo-
luntate consortium sive adjacentium. Et si quis cela-
verit, vel privaverit aliquam venam aque ad quam

cient ad bibendum homines, vel ad colligendam ~~homines~~ aquam, teneantur ipsam aquam reducere in pristinum statum, et solvat damnum centum solidorum denariorum. Volumus etiam quod nulli liceat mittere sulcas per suam possessionem in prejudicium alterius, nec ruinam minare valeant contra possessionem alterius ad penam viginti solidorum. Volumus autem quod cuilibet liceat mittere sulcos consuetos per spatium decem annorum inter presentes per suam possessionem sine pena et damno.

Lib. eodem Cap. 8°

De pena vendemiantis ante tempus in statuto contentum.

Nullus audeat, presumat vendemiare, vel vendemiari facere aliquam vineam usque ad octo dies ante festum sancti Angeli de mense Settembris ad penam viginti solidorum denariorum pro quolibet contrafaciente et pro quolibet domino vinee, nisi fuerit aliter per vicarium et quatuor antepositos provisum et ordinatum. Qui vendemiaret aut vendemiari faceret, et de vendemiantibus alicui scilicet juvantibus domino vinee, tales non teneantur ad penam.

Et per Curiam Montis franchi possit de predictis

inquiri et procedi per omnem modum.

Lib. eodem Cap. 11

Quod omne anitum quod esset inter domos aliquas quod esset clausum debeat reaptari.

Si anitum aliquod esset inter domos aliquas de dicto castro, et clausum esset quod vicini teneantur dictum anitum aperire et aptare ita, et taliter quod aqua possit commode ire. Et si inter dictos vicinos esset scetium occasione aniti, quod dictum scetium debeat definiri per vicarios dicti Castri. Et quod in dictis anitis non possit aliquis proji-cere aliquam sozzuram nisi consortes tantum ad pœnam decem solidorum denariorum pro quolibet contrafacien-te, et qualibet vice, et quilibet possit contrafa-cientem accusare, et removere teneatur illud quod projecerit infra terminum statuendum ei per dictos vicarios.

Libro eodem Cap. 12

De pœna ragnantis in ragnatorio alieno, extraendis turdos, et occupantis cum Juchis de nocte.

Ragnare, nec ragnam aliquam, seu retem immittere nulla persona audeat, vel præsumat in ragnatorio alieno, nec turdos seu aves de silvis alienis cacciare, et qui

contrafecerit solvat pœnam decem solidorum pro quolibet et qualibet vice. Nulli autem liceat, nec possit ire vel accedere cum lumine de nocte, cum facchis, vel alia re sive instrumento apto ad capiendum turdos, vel alias aves, ac occidendum causa occupandi de nocte, vel capiendi, seu cacciandi turdos et aves ad pœnam quinquaginta solidorum denariorum de facto solvendorum sine diminutione aliqua pro quolibet et qualibet vice qua contrafactum vel ventum fuerit. Et Potestas, Vicarius, et Cancellarius possint procedere contra prædictos per omnem modum, videlicet accusationis, denunciationis, et inquisitionis, et credatur juramento accusatoris cum uno teste de visu majore quatuordecim annis.

Lib. eodem Cap. 16

De pœna cavantis foveam vel formam quam haberet inter possessionem Consortis irrequisito domino

Quicumque haberet aliquam foveam vel formam inter possessionem suam suam et possessionem consortis, non possit ipsam cavare sine requisitione consortis. Et si cavaverit ipso non requisito solvat pœnam decem solidorum denariorum pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice. Et si requisiverit et non cavaverit inter duos

dies quod possit ipsam foveam sive formam cavare sine pœna et banno, et de requisitione credatur juramento requisitoris.

Libro eodem Cap. 17

De pœna facientis foveam subtus limite alienum.

Si aliquis de dicto Castro fecerit aliquam foveam sub limite alienum, propter quam foveam limen caderet, vel in eo aliquod damnum daret, in decem solidis denariorum de facto puniatur. Et damnum emendet petenti secundum æstimationem faciendam per æstimatores Communis, vel per duos homines eligendos per dictas partes. Et de fodentibus, vel cavantibus foveam stetur, et credatur juramento accusatoris.

Lib. eodem Cap. 26

De pœna projicientis aquam ab aliqua fenestra in pubblicam viam.

Nulla persona de dicto Castro audeat vel præsumat projicere in aliqua via pubblica dicti Castri intus dictum Castrum aquam ab aliqua fenestra alicujus domus. nec in dictis viis intus dictum Castrum possit aliquis habere foveas cum letamine vel sine ad pœnam quinque solidorum denariorum. Et quod nulla persona in dictis viis projiciat, vel faciat aliquam sozzuram ad

pœnam quinque solidorum denariorum pro quolibet, et qualibet vice, qua in prædictis fuerit contrafactum vel contraventum.

Libro eodem Cap. 28

Quod habenti usciamen apium liceat quando dicta usciamina gettarent, ire ad colligendum ipsa in quocumque loco.

Quicumque de dicto Castro habet aliquod usciamen apium in dicto Castro vel ejus districtu posuit, et ei liceat quando dicta usciamina gettarent, ire ad colligendum usciamen sive cacchium in quocumque loco iret, vel perderet sine pœna et banno. Et si aliquis faceret contra prædicta in decem solidos denariorum puniatur.

Libro eodem Cap. 29

Quod quilibet habens possessionem juxta vias, quolibet anno teneatur incidere fractas seu sepes.

Quilibet de Montefranco habens aliquam possessionem juxta vias publicas teneatur, et debeat incidisse fractam sive sepem existentem prope ipsam viam ita, et taliter quod habiliter possit unusquisque transire tam cum salmis quam sine, quolibet anno per totum mensem junii dummodo banniatur per Bajulum Communis, et qui contrafecerit solvat pœnam decem solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice. Et

nihilominus teneatur habens dictam fractam, eam incidere et incurrat in poenam quinque solidorum denariorum qualibet die, qua steterit in mora in non sgomorando dictam viam, et fractam incidendo

Libro eodem Cap. 34

De poena facientis impedimentum areae alicujus

Aream alicujus nullus impediat, vel aliquod impedimentum faciat ipsi areae seu in ipsa area, seu prope ipsam aream per quod impediatur tritare, seu ventilare, seu aliqua opportuna in ea facere. Contrafaciens vero solvat poenam quadraginta solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice

Eodem libro Cap. 35

De poena lavantium pannos, vel facientis turpitudinem in fonte, vel prope fontem.

Pannos seu carnes in fonte dicti Communis existente in Colle prope dictum Castrum, neque in trucco ipsius fontis nec etiam in aquaeductu ejusdem fontis nulla persona lavare debeat; nec in ipso fonte vel trucco, vel prope ipsum fontem vel truccum per quinque pedes perticae contradae aliquam turpitudinem seu ingomaramentum faciat sub poena viginti solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice, nec de dicto fonte, et trucco extrahere debeat

aquam causa lavandi, nec pro calcinario, nec etiam causa mollificandi barilia, sive aliquod aliud sine licentia vicarii vel offitialis, nec non cannellam dicti fontis dimittere spilatam, nec ipsum truccum spilare sub pœna decem solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice. Nulli autem liceat aliquam turpitudinem facere in infrascriptis fontibus, videlicet in fonte Pireng, in fonte Pretariæ, in fonte Casalicchi, in fonte Sancti Andreæ, in fonte Sancti Petri, et in fonte monsani ad pœnam decem solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice. Qui fontes aptari debeant per adjacentes dictorum fontium, seu per homines illius contradæ ad sensum vicarii pro tempore existentis ad pœnam quinque solidorum pro quolibet contrafaciente, et inobediente.) Et quilibet in prædictis omnibus possit contrafacientes denuntiare, et accusare, et credatur suo juramento.

Libro eodem Cap. 36

De modo et ordine manutenendi aquæductum fontis Collis, et de pœna rumpentis vel impedientis ipsum aquæductum.

Ad hoc ut abundantia aquæ quotidie habeatur in fonte Collis dicti Castri ordinaverunt et statuerunt quod aquæductus fontis prædicti aptetur, reparetur, et manteneatur expensis Communis, ita quod aqua quotidie et commode habeatur. Et quod vicarius et quatuor antepositi, qui pro tempore

fuerint, teneantur, et debeant diligenter et sollicite vacare circa reparationem et manutentionem dicti aqueductus, et in predictis, et circa predicta plenam habeant auctoritatem ordinandi, precipiendi, exigendi et executioni mandandi, prout eis fuerit visum opportunum. Nec non locandi, aut accoptumandi et per omnem alium modum providendi et exequendi, et penas et banna imponendi et exigendi usque in quantitatem viginti solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice. Et quidquid per eos vel per majorem partem ipsorum factum, ordinatum, et executum fuerit, pleno jure valeat ac si factum esset per totum Commune. Volumus autem, quod si dicti Vicarius et quatuor fuerint in predictis negligentes incurrant in penam quadraginta solidorum denariorum pro quolibet. Si quis autem fregerit, vel quovis alio modo deguastaverit, seu impediverit dictum aqueductum vel in aliqua sui parte, incidat in penam centum solidorum denariorum de facto auferendorum sine diminutione aliqua. Et nihilominus teneatur dictum aqueductum reaptare suis expensis ad voluntatem dictorum Vicarii et quatuor antepositorum. —

Libro eodem Cap. 39

De pena mittentium bestias per Laurum

Nulla persona de dicto Castro possit nec

debeat a Kalendis Mensis Martii usque ad festum Sancti Petri de mense Iunii boves, asinos, vel porcos, vel aliqua alia animalia ducere vel tenere per faum, nec cum dictis bestiis pascuare ad pœnam duorum solidorum denariorum pro qualibet bestia, et qualibet vice, nisi ea die qua aret, vel cum asinis quando stabiaret, et nisi ipsas bestias teneret, vel starent in sua possessione ligatę: Nec etiam de armentitiis quando araret ad aliquam pœnam non teneatur. Et etiam jumentum quilibet possit tenere in sua possessione sine pœna et banno. Et cuilibet sit licitum transire per vias dicti faii cum dictis bestiis. adjacentes quod quilibet habens porcum in dicto Castro teneatur et debeat tenere ligatum ad pœnam duodecim denariorum, vel in domo ita quod nemini damnum inferat, et cuilibet liceat accusare semel in die. Liceat tamen ducere quocumque voluerit ligatum, et ipsum tenere extra dictum Castrum in sua possessione ligatum tantum.

Lib. eodem Cap. 48

Quod nullus possit ingomorare fossos Comunis, nec muros Comunis impedire

Fossos Comunis dicti Castri nullus possit nec valeat quoquomodo ingomorare nec in eis, vel in aliqua ipsorum parte aliquod ingomeramentum facere, vel projicere ad

pœnam viginti solidorum denariorum pro quolibet contra-
faciente, et vice qualibet. Et nulli autem liceat, nec pos-
sit . . . vel aliqua impedimenta, quæ impe-
diant, et . . . dicti Comunis. Et nihilominus talis
ingomorans, vel impediens in quolibet casuum prædictorum
teneatur illud amovere, et in pristinum statum reducere
suis expensis infra terminum per Curiam assignandum sub
dicta pœna, et quod Vicarius et quatuor antepositi tenean-
tur et debeant ad minus semel in anno revidere et
rimari dictos fossos . . . si in aliqua eorum
parte sint ingomorati vel impediti seu occupati, ad pœ-
nam viginti solidorum pro quolibet, et quod autem ap-
prehensum, ingomoratum, et impeditum invenerint, in pristi-
num statum reduci faciant.

(Nota) Le parole che mancano non sono in modo alcuno intelligibili per essere abrase o cancellate dall'originale.

Lib. eodem Cap. 49

Quod quilibet debeat mundare vias intus Castrum, et sgomo-
rare

Stratas, seu vias pubblicas intus dictum Castrum quilibet
ante domum suam propriam vel conductam debeat mun-
dare et scopare quando et quoties fuerit pro parte Curiæ
dicti Castri bannitum, injunctum vel mandatum ad pœnam
quinque solidorum denariorum pro quolibet et qualibet
vice. Et si aliquis ingomoraret aliquam ex dictis viis
aliquo modo, debeat illud removere infra terminum

per Curiam assignandum sub pœna decem solidorum Denariorum pro quolibet et vice qualibet.

Libro eodem Cap. 50

De pœna mingentis, vel degerentis vel stercorizzantis prope portas Comunis.

Mingens, seu degerens, alias stercorizzans, vel aliquam turpitudinem projiciens in Platea Portæ Spoletanæ vel prope portas dicti Castri vel aliquam ipsarum per unam perticam contradæ, puniatur pœna quinque solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice. Et ad eandem pœnam teneatur mingens, vel stercorizzans in circuitu Palatii, et quilibet possit de prædictis accusare, et credatur ejus juramento de novo præstando

Libro eodem Cap. 51.

De aptatione Viarum

Via Civitatis, qua itur versus Spoletum incipiendo a dicto Castro Montisfranchi; Via qua itur versus Arronum incipiendo a dicto Castro Montisfranchi usque ad Pontem, qui dicitur lu Ponte de Montefranco, et Arrone: Via Monsani usque ad trivium prope aream Vinitii Antonii. Via Collis molendini, qua itur ad pontem dicti castri usque ad dictum Pontem inclusive. Via Plagiæ usque ad pedem plagiæ. Via Fontis Prateriæ incipiendo ut supra a dicto castro usque ad ipsum fontem aptentur et aptari debeant per

dictum quoties opus fuerit, in quibus viis nulli liceat facere foveam, seu aliquod impedimentum ad pœnam viginti solidorum denariorum pro quolibet contrafaciente, et vice qualibet, et nihilominus teneatur reaptare suis expensis in termino per Curiam eidem præfixo sub dicta pœna ad voluntatem Dominorum offitialium. Volumus autem quod habentes possessiones juxta dictas vias seu aliquam ipsarum teneantur, et debeant incidere, et removere spinos, et sepem ut supra in Capitulo de electione viariorum continetur. Quæ quidem viæ sint et esse debeant latitudinis quinque pedum perticæ contradæ ad minus. Et omnes aliæ viæ tam publicæ quam vicinales ubicumque existentes in territorio dicti Castri aptentur et aptari debeant per adjacentes dictarum viarum usque ad earum exitum ad sensum et declarationem viariorum continetur. Quæ viæ sint amplitudinis in fundo trium pedum, et in altitudine quatuor pedum ad minus, et abinde supra ad voluntatem viariorum ad dictam mensuram.

Libro eodem Cap. 53

De pœna tenentium Capras et porcos in dicto castro, et ejus districtu

Nulla persona de dicto castro Montis franchi vel aliunde audeat vel præsumat retinere aliquam bestiam caprinam hircinam vel porcinam in dicto castro montis franchi, nec ejus territorio sub pœna quinque solidorum denariorum

pro qualibet bestia et qualibet die. Nec etiam prodictis ani-
malibus retinendis in dicto Castro, vel ejus districtu nullus
audeat, vel praesumat petere licentiam pro se, vel per ali-
quam interpositam personam aliquo quesito colore ab offi-
cialibus Comunis dicti Castri, seu ab aliqua alia persona,
neque in arenga vel Consilio dicti Castri sub poena cen-
tum solidorum denariorum pro qualibet et qualibet
vice. Et Vicarius, quatuor Antepositi seu quicumque alius
offitialis dicti castri, qui dictam licentiam concederet,
vel quoquo modo daret, incidat in poenam supradictam
centum solidorum denariorum pro qualibet ipsorum et quali-
bet vice: Et in dicta poena incurrat qui consuleret, vel aren-
garet quod concedatur dicta licentia: Et praedicta locum
non vindicent cum Comune dicti Castri permitteret facere
carnes in dicto Castro ad sufficientiam secundum formam
statuti loquentis de modo tenendo per macellarios, cui
tunc licentiam praedictam liceat petere in dicto Comune.
Et tunc et eo casu Vicario liceat consulere, et arengare
quod detur dicta licentia retinendi tot animalia, quot
dicto Comuni videbitur, et placebit, et non plura. Et pro
eodem tempore, quo dictas carnes dicto Comuni facere pro-
miserit, et non ultra. Et si contrafecerit, retinens dicta
animalia incurrat in dictam poenam centum solidorum

denariorum, et ultra in dictos centum solidos incidat in pœnam quinque solidorum decreti pro quolibet dictorum animalium, et pro qualibet die, qua ipsa animalia retinuerit. Volumus autem quod unicuique sit licitum retinere unam capram causa lactandi aliquem puerum seu puellam cum licentia tamen offitialium dicti Comunis, alias incurrat in dictam pœnam quinque solidorum denariorum pro qualibet die, qua retinuerit, et qualibet capra. Qui vero retinuerit aliquam scrofam cum porcellis in dicto Castro, vel ejus districtu incidat in pœnam quinque solidorum denariorum pro quolibet dictorum animalium, et qualibet die.

Lib. eodem Cap. 58

Quod unicuique liceat trahinare per possessionem alterius impune.

Quoniam difficile est trahinum commode per vias ducere, ideo statuimus et ordinamus, quod cuilibet de dicto Castro liceat ducere et trahinare trahinum per possessionem cujuscumque personæ sine pœna et banno, dummodo antequam ducat, seu trahat dictum trahinum per possessionem alterius, in qua damnum aliquod inferretetur cum dicto trahino, concordet dominum possessionum seu patronum de damno inferendo occasione prædicta. Et si trahinans et domini possessionum non essent concordes de damno inferendo

eligantur per ipsos duos homines ad estimandum dictum damnum. Et si ducens trahinum contra fecerit, solvat pœnam quadraginta solidorum denariorum, et nihilominus per Curiam cogatur ad emendam dicti damni. Et observatis prædictis dominus possessionis opponere se non debeat per se vel per alium sub dicta pœna.

Libro eodem Cap. 59

De pœna capientis columbos, seu gallinas

Quicumque de dicto Castro vel aliunde ceperit columbos de columbariis, seu columbos domesticos, aut gallinas vel pullos quoscumque, et eos occiderit, solvat pœnam decem solidorum denariorum pro quolibet columbo, gallina sive pullo, et damnum patienti emendet in duplum, et unicuique liceat accusare cum uno teste, cujus accusatoris nomen teneatur in secretum.

Eodem libro Cap. 63

De possessionibus banniendis

Statuimus et ordinamus quod nullus de dicto castro vel aliunde audeat, vel præsumat bannire vel banniri facere aliquam ejus possessionem cultam vel incultam sine licentia Vicarii et quatuor antepositorum pro tempore existentium. Et si per dictum Vicarium, et quatuor licentia concederetur banniendi, quod tunc liceat banniri facere

et dictum bannimentum scribi facere in libro Comm. licentia Vicarii et quatuor ℈ sit nulla, pro qua scriptura dictus Cancellarius habeat duos solidos denariorum pro quolibet bannimento. Quibus prædictis non observatis Bajulus dicti Comunis non teneatur, nec debeat bannimentum prædictum ad istantiam alicujus facere et pœna aliqua ab aliquo exigi non possit vigore dicti bannimenti —

Libro eodem Cap. 64

Si aliqua arbor penderet supra possessionem alterius, sit licitum incidere illud quod penderet.

Si aliquis de dicto Castro haberet aliquas arbores supra possessionem aliquam, quod sit licitum illi cujus esset possessio supra quam penderent dictæ arbores colligere de fructibus ipsarum arborum de eo quod penderet supra possessionem suam sine pœna et banno, salvo quod non præjudicet jus alius habenti. Et quod si aliqua arbor penderet supra aliquam possessionem alienam, quod dominus arboris ad petitionem illius cujus esset possessio, supra quam penderet ipsa arbor, teneatur, et debeat illud totum quod penderet supra possessionem alienam succidere, seu recidi facere ad pœnam decem solidorum denariorum: Et si ipse non succideret, quod sit licitum illi cujus esset possessio, supra quam penderent dictæ arbores incidere illud

penderet supra suam possessionem, facta primo protestatione quod debeat incidere sine pœna et banno. In quibus arboribus non intelligantur olivæ vel plantones, quod nulli liceat colligere fructus olivarum, nec incidere, vel incidi facere quoquo modo.

Libro eodem Cap. 65

Quod nullus faciat ingomeramentum in Ecclesia Sanctæ Mariæ et ejus pertinentiis.

In Ecclesia Sanctæ Mariæ de Montefianco, nec in Cimiterio sive platea existente ante et juxta dictam Ecclesiam nulla persona audeat, vel præsumat mittere aut reponere aliqua ingomeramenta, neque aliquo modo aliquibus rebus ingomorare dictam Ecclesiam, Cimiterium, et Plateam sub pœna decem solidorum denariorum pro quolibet contrafaciente et vice qualibet. Et nihilominus dictum ingomeramentum debeat amovere infra terminum per Curiam sibi statuendum sub pœna prædicta, in qua pœna toties incurrat, quoties sibi præceptum fuerit.

Liber quintus damnorum datorum
Caput. Primum

De pœna damnum dantium in blado alieno et legumine.

Si bestiæ alicujus damnum darent in blado, et legumine alieno, videlicet bovina, asinina, equina, mulina

et porcina a kalendis mensis aprilis usque et per totum mensem septembris, solvat dominus bestiarum prædictarum pro qualibet bestia et qualibet vice quatuor solidos denariorum. In aliis vero temporibus solvat pro qualibet bestia et qualibet vice tres solidos denariorum: Et credatur accusatori cum juramento usque in quantitatem quinque solidorum denariorum. Si vero bestiæ minutæ damnum dederint in supradictis bladis, et leguminis, solvat dominus ipsarum bestiarum unum solidum denariorum pro qualibet bestia, et vice qualibet, et damnum emendet patienti.

Cap. secundum

De pœna damnum dantium cum bestiis in croco, horto, pergulis et vinea.

Dominus bestiarum damnum dantium in croco, horto, pergulis et vinea puniatur pro qualibet bestia grossa, inter quas computatur bestia porcina, pœna decem solidorum denariorum pro qualibet vice. Pro qualibet vero bestia minuta solvat duos solidos et qualibet vice. Et credatur accusatori cum juramento sine aliqua probatione usque in quantitatem decem solidorum, et damnum emendet patienti in duplum

Cap. tertium

De pœna damnum dantium cum bestiis in arboribus domesticis.

Bestiæ alicujus damnum dantes in arboribus domesti

videlicet fructibus, malis, peris, et his similibus, solvat dominus dictarum bestiarum pro qualibet bestia grossa, et qualibet vice tres solidos denariorum. Pro qualibet vero bestia minuta solvat denarios duodecim, et vice qualibet. Et credatur accusatori usque in quindecim solidos, et damnum emendet patienti.

Cap. quartum

De pœna damnum dantium cum bestiis in pratis, et terrenis custoditis pro fœno.

In pratis et terris bannitis pro fœno, si bestiæ alicujus darent damnum a Kalendis mensis Martii, donec fuerint falciatæ solvat dominus bestiarum pro qualibet bestia grossa et vice qualibet tres solidos denariorum. Pro qualibet vero bestia minuta solvat solidum unum denariorum, et vice qualibet, et damnum emendet patienti, et credatur juramento accusatoris usque in quantitatem quinque solidorum denariorum.

Cap. quintum

De pœna damnum dantium cum bestiis in bonis bannitis.

Si quis damnum dederit cum bestiis in bonis alienis bannitis, si in magese, vel stoppia solvat pro qualibet bestia grossa duos solidos denariorum pro qualibet bestia et vice qualibet. Si vero in aliis locis incultis, solvat

unum solidum. Si cum bestiis minutis solvat sex denarios pro qualibet bestia et vice qualibet. Et credatur accusatori usque in quantitatem quinque solidorum denariorum.

Cap. Sextum

De pœna damnum dantium personaliter vel cum bestiis in bonis Ecclesiæ Sancti Bernardini

Ut bona Ecclesiæ S. Bernardini existentia in territorio dicti Castri conserventur et reverceantur, præsenti statuto sancimus, quod nulla persona audeat vel præsumat, vel præsumat aucupare, nec ligna facere, nec aliquo modo arbores incidere, vel ad turdos caciare de die vel de nocte in bonis dictæ Ecclesiæ sub pœna quadraginta solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice. Si vero quis damnum dederit personaliter in hortis et fructibus existentibus in bonis dictæ Ecclesiæ solvat pœnam viginti solidorum denariorum. Si quis autem cum bestiis damnum dederit in dictis hortis vel arboribus ibidem existentibus, solvat pro qualibet bestia grossa et pro qualibet vice decem solidos denariorum. Et si aliqua bestia intraret infra clausuram factam et constructam per fratres dictæ Ecclesiæ, solvat dominus bestiarum quinque solidos denariorum pro qualibet bestia grossa et qualibet vice: si cum bestia minuta, solvat medietatem dictæ pœnæ singula

singulis referendo

Cap. septimum

De pœna damnum dantium ad silvas, et mittentium bestias in cesis olivarum.

Si bestiæ alterius starent ad pasculandum in cesis olivarum seu plantororum, et intra dictas olivas seu plantones, solvat dominus bestiarum pro qualibet bestia grossa et qualibet vice duos solidos denariorum. Si vero damnum darent in dictis plantonis et olivis, corrodendo dictas arbores olivarum, solvat dominus bestiarum pro qualibet, et vice qualibet quinque solidos denariorum. Pro qualibet vero bestia minuta, et qualibet vice, solvat unum solidum denariorum, et credatur juramento accusatoris usque in quantitatem decem solidorum, et damnum emendet patienti.

Cap. Octavum.

De pœna damnum dantium cum bestiis ad paleare vel fœno falciato.

Ad paleare, et fœnum falciatum bestiæ grossæ alterius damnum dantes incidant in pœnam pro qualibet bestia trium solidorum denariorum. Pro qualibet vero bestia minuta incidant in pœnam sex denariorum, et vice qualibet, quam pœnam solvere teneatur dominus earum

earum bestiarum.

Cap. Nonum.

De pena damnum dantium cum bestijs ad metas bladi.

Ad metas bladi, seu ipsum bladum coadunatum, si bestie alterius damnum darent, inter quas computetur bestia porcina, solvat dominus bestiarum solidos quinque pro qualibet bestia grossa, et qualibet vice. Si vero bestie minute damnum darent in dictis metis, solvat dominus dictarum bestiarum sex denarios pro qualibet bestia et qualibet vice. Volumus autem, quod nullus audeat, vel presumat mittere, vel tenere aliquas bestias grossas, vel minutas in stoppijs ubi esset bladum sub pena duorum solidorum pro qualibet bestia grossa, et sex denariorum pro qualibet bestia minuta, et vice qualibet.

Cap. Decimum.

De pena damnum dantium cum bestijs in canape et lino.

In canape et lino si bestie alterius damnum darent, dominus ipsarum bestiarum solvat pro qualibet grossa, inter quas computetur bestia porcina, solidos quatuor et qualibet vice. Pro qualibet vero bestia minuta solvat unum solidum, et qualibet vice, et credatur juramento accusatoris usque in quantitatem quinque solidorum

Caput Undecimum.

De pœna damnum dantium personaliter in bladis, horto, canape, lino, pergulis, vinea, arboribus domesticis et pratis.

Personaliter damnum dantes in blado alieno cujuscumque generis sit, videlicet carpendo, metendo vel exportando, solvāt pro quolibet et qualibet vice decem solidos denariorum, et damnum emendent patrono in duplum. Si quis vero damnum dederit personaliter in quocumque genere leguminum, colligendo vel exportando, solvat pœnam quinque solidorum denariorum pro quolibet, et qualibet vice. Si quis vero damnum dederit in horto, pergulis, vineaque colligendo olera et fructus existentes in dicto horto, ac etiam uvas, solvat pœnam decem solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice. Et ad eamdem pœnam teneatur qui damnum dederit ad persica, amigdalas, pira et amuniacios: In aliis fructibus vero quis damnum dederit, solvat pœnam quinque solidorum denariorum pro quolibet et qualibet vice. Si quis autem damnum dederit in vineis et pergulis videlicet colligendo magliolos, et exportando palos, et incidendo vimios salicis, solvat pœnam quatuor solidorum pro quolibet, et qualibet vice. Si autem quis damnum dederit in canape et lino, carpendo et exportando, solvat pœnam decem solidorum pro quolibet et qualibet vice. Et in omnibus supradictis

casibus modo declaratis credatur juramento accusatoris usque in quantitatem decem solidorum. In pratis vero et herbis custoditis et bannitis pro fœno qui damnum daret falciando, metendo, vel exportando herbam vel fœnum, solvat pœnam quinque solidorum denariorum pro qualibet et qualibet vice. Et omnibus supradictis casibus damnum emendet patienti.

Cap. Decimum secundum.

De pœna excorticantis, deguastantis, vel incidentis vitem, pergulam, vel aliquam aliam arborem domesticam.

Si quis inciserit, vel deguastaverit, seu scorticaverit alicui aliquam pergulam, vel vitem vineæ, puniatur pro qualibet pergula in centum solidis denariorum, et pro qualibet vite vineæ in viginti solidis denariorum pro qualibet et qualibet vice. Si quis autem inciserit alicui plantonum, vel scorticaverit aut igne combusserit, vel cremaverit, puniatur pœna centum solidorum denariorum. Si inciserit aliquem ramum dicti plantoni, solvat pœnam viginti solidorum pro quolibet ramo, et ad eamdem pœnam teneatur qui decerpserit seu estirpaverit aliquam alicui plantam plantoni. Qui autem inciserit aliquas arbores domesticas fructiferas solvat pro qualibet arbore quadraginta solidos denariorum. Si quis vero inciserit quercum existentem in pos-

sessione

sessione culta et laborativa valoris a decem solidis supra, solvat viginti solidos denariorum. Si vero ramum inciserit, solvat quinque solidos pro quolibet ramo. Si a decem solidis infra, solvat quinque solidos. Pro qualibet autem arbore existente cum pergula, seu vite, solvat quadraginta solidos denariorum. Si quis vero inciserit arborem aliquam domesticam, vel silvestrem, incidat in pœnam quinque solidorum denariorum pro qualibet arbore, et qualibet vice: et nihilominus quolibet casu prædictorum emendet damnum patienti in duplum; et credatur juramento accusatoris usque in quantitatem decem solidorum denariorum; et pro prædictis omnibus teneatur pater pro filio.

Caput Decimum Tertium.

De pœna incidentis arbores prope Zagnatorium, et in silvis alienis.

